Paulus Joannes

Radłowicz Martinus Gemitus gratiarum.

GEMITUS
GRATIARUM,
in Morte,
Perillustris olim, Clarissimi, & Admodùm Reverendi Domini,
D. M. PAULI IOANNIS WOIEWODZKI,
Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatarum, S. FLORIANI Custodis, Pilecensis Canonici, Lenczyciensis Cancellarii; Cathedralis Cracoviensis pro Solennitatibus CHRISTI Domini, & B. V. MARIÆ Concionatoris, Minogensis Curati.

Dum ei Iusta Parentalia in Basilica SS. TRINITATIS Ord: Prædic:

Dolenti omnium affectu persolverentur;

A

M. MARTINO FIDETOWICZ,

In Alma Universitate Cracoviensi,

Philosophiæ Doctore & Professore,

Dolenti carmine, & debito in suum Professorem obsequio,

PRODUCTUS.

Anno Domini 1693. Die 28. Martii.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

GEMITUS GRATIARVM.

Heu infame malum crudo quid nostra lacessis
Corda dolore nimis? gemimus sub pondere tanto?
Quis furor ô Superi! tantas persoluere diras
Cogimur, atque nouas miseræ geminare ruinas?
Damnamur voto castæ, mox ferre nocentes
Debemus lachrymas, geminatis vicibus eheu!
Infandũ quid fata gradum renouare iubetis!
Canities terræ concessit iam imbribus altis,
Abluit egelidos colles stagnantibus vndis;
Iam soluit pontem glacialem forte tridente
Neptunus, fecit solido quem frigore spumans;
Et tellure nouâ redeunt cùm gramina campi
Flora suis lætum pastinat floribus agrum,
Excolit indomito sudansque labore vireta;
Fatales taxos, en feralesque cupressos,
Fata quid inseritis pro nunc Helicone sacrato?
Quem castæ niueis decoramus floribus ipsæ?
Iapix quis dirus, seu mordax ventilat æther?
Delicias Musæ rapiens gemmasque Virorum?
O infelices casus omenque sinistrum!
Purpureo veris dum rident arua colore,
Primitijsque nouis Cæli candente sereno;
Non vices lætas variamus iamne sorores?
Ast crudis premimur grauibusque doloribus ecce?
Non mora leniuit diuturno tempore mæstos
In nobis gemitus, repetitis planctibus vber.
Flos quàm purpureus cecidit STRASZYNSCIVS, atque
Nunc iterum nostris quid mors grassatur in hortis?
Carpitur innocuus Flos en WOIEWODZCIVS, ille,
Orbis quem stupuit, sapientia rite probauit.
Nimirum Lucina cui concessit eburnum,
Ver ortûs, niueo præcinxit pectus amore;
Castalijs lymphis protinus lauêre Camænæ,
Nosque suæ menti nectar profudimus omne.
Cracia Musa fuit felix ac vnica Mater
Illius mentis pretium, quæ digna coronis
Tempora præcinxit: sudatos namque labores
Vidit & insolitas animi propendere curas
In Virtutis opus, summis conatibus aptum.
Vota tulit Matri de se concepta proinde;
Tullius ex Cathedris quàm felix ore triumphat?

Difici-

Difficilesque Sophûm nodos & dogmata soluit:
Gurgite frustra suo latitant pretiosa profundo,
Quæ claudit natura sagax, altèque recondit;
PAVLVS cuncta sapit promptus, reseratq; stupendo
Ingenio dignus, Magnis his dotibus ergo
Felix irriguo latici sacratur abinde
Dulcibus eloquij recreando corda fluentis;
Dulce SRENIAVA Tibi spondet LVBOMIRSCIVS omne
Et decus & pretium meritis, quem dulcè bibisti;
Æneæ Ascanios replens dulcedine Magnos.
Palladios ausus vicisti macte Togatus,
Sanguineis rubuit Peripathi Purpura curis;
Inuictus solido quas semper pectore gêsti,
Spinis per stratos contendens tramites hirtis
Ingrederis Templum Musæi culmen honoris
Suaue nimis teneras nectar deducis in aures,
Orator mentes quàm Tylicianus amœno
Pertrahis, & blando demulces ore disertus,
Tantæ virtutis testes en sêcla manebunt
Egregijs scriptis cuius monumenta dedisti,
Eloquio tanto felicem & Principe dignum,
Victorem Cathedræ toties sensêre loquentem
Et sacris laudis decorarunt tempora Lauris.
Inuidêre suis alieni cernere Votis
Te Soles, nimiùm pulcher quos ore serenas,
Ac roseus totus iucunda mente refercis.
Quid Sorbona Tuis Latium quid laudibus egit;
Æternùm viui non Fasti quando tacebunt.
Vndique Te circùm volitabant vota Mineruæ,
Te coluêre sacræ festis gratando Lycæis,
Præpete Septenni Pennâ quàm sorte meabas?
MNISZCHORVM, Patriæ deducens pignus amicum.
Appello testes Doctorum vos summa virorum
Pectora, quem placido vultu stupuistis abùndè;
Delicias tandem Matri retulistis eburnæ,
Quem roseo plaudens gratissima suauiat ore,
Doctoresque (nouo plausu volitante per auras)
Excipiunt voto, plaudentes, tædia soluunt;
Occurrunt lætos sternentes sub pede flores
Solicitæ Musæ, iam optatum munere vincunt.
Dardaniâ quantis fecundus in Vrbe coronis
Hic fuerit, Sanctus Iudex, & Arbiter æqui
Iudicio summo decreuit; dignus amore
Pontificis Summi PAVLVS sic extitit ipsiûs.
Vocalis famæ sonitus testentur acutum
Ingenium PAVLI, quantos superasse labores
Non timuit, Diuina sonans augusta IOANNIS

Gratia

Gratia, cùm plausus meruit Nomenque Togatum.
Publica vota placent eius celebranda nitores,
Deficiunt inopi cum florida verba cothurno.
Maxima Te Craci stuperunt Rostra Vauelli,
Vnde trisulca potens iactabas Magne Pericles
Fulmina, cùm IESV Orator pius atque MARIÆ
Corda regens hominum; Vicisti cuncta secundus,
Non MINOGENSE Tuas obliuia quando tenebunt
Fanum Pastoris curas, vigilesque labores;
Sed dilecta Loco referet pia Mater IESV
Zelabas cuius Tu semper amore beatus.
Quàm decus eximium fueras per summa laborum
Ad quoscunque gradus veniens discrimina felix.
Nobilis ergo Tuæ virtutis imaginè Diuâ,
Sorteque felici tantâ gloriamur abundè.
Promeruit votis cunctorum mille decores,
Et virtute sacrâ Vittas Nomenque celebre;
Inseritur pulchræ Doctorum ritè Coronæ,
Maxima mirandus Doctor mysteria voluit;
Cuius mens solida est ipsi contermina Cælo.
Non spes exiguas de Te maturus alebas,
Curriculis longis emensus multa laborum;
Ibis in ora Virûm magno auctoratus honore?
Inuida Fatorum rabies sed dira malorum
Substruit in medijs meritorum spicula curis,
Eripiens vitæ PAVLO mox grande monile.
Heu miseras Charitū vices casumque dolendū!
Cum fons Castalius lachrymis restangnat amaris;
Concedit fatis PAVLVS, flos decidit hortis;
Corda gemunt Charitum sæuo laniata dolore.
Inclyte Sceptrorum RECTOR diuellitur à Te
CHRISTOPHORE ô SOWINSKI! animæ quem semper habebas
Dimidium cordisque Tui, iam pace quiescit,
Sit præsens animo fuerat qui cordis amicus.
Commisit Tabulas Queis, cordibus imprimit ipsis,
Vt Viuat Vestris animis & præstò legatur,
Subque Triumphantis Vexillo, milite dignus
CHRISTI, pro Sceptris profundet vota Polonis.
Felix in Sanctæ Triadis statione triumphans.
Vnde valedicit Doctorum Cætui amando
Implorans supplex deuotum pignus amoris.
Complorate nouis Charites tam sæua querelis,
Spicula, crudelis Fati, suspiria, planctus,
Ducite, tum Tectis Manes inferte Beatis;
Gemmea sêcla ferat Defuncto vt Gratia CHRISTI,
Vos Charites Gemitu Cælos vrgete perenni.